

D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



VARIOS inter Mulierum Morbos inverſio Uterina non minorem locum obtinet, ratione periculi ſubſequentis; nihil proindè omittere debet Chirurgus, ut ipſius curationem ritè ſuſcipiat.

SUBSTANTIA Uteri eſt membranacea, muſcularis, ſpongioſa, & vaſcularis. Cavitate triangulari donatur. Situm habet in parte inferiore pelvis. Dimenſiones ipſius per graviditatem mutantur.

SUSTINETUR moles Uterina ope ligamentorum, quorum duo lata, duo ſunt teretia.



A latèribus Uteri reperiuntur tubæ Fallopianæ & ovaria.

Vasa Uteri ſunt ſanguinea, lymphatica, lactea aliquando; Nervi etiam per totam, ipſius ſubſtantiam diſtribuuntur.

Sunt aliæ partes, quæ cum Utero immediatè, vel mediatè anneƈtuntur, & indigent, vel non indigent ſcalpello ut detegantur; unde illarum in internas & externas diviſio.

Status in quo pars ſuperior, aut lateralis Uteri ingreditur partem inferiorem, partim vel omninò, dicitur inverſio. Exquâ definitione fluit diviſio in directam & lateralem, incompletam & completam. Inverſio directa frequentior eſt laterali; quæ vix niſi à polypo, vel excreſcentiâ quâcumque oriri poteſt, & numquam completa habetur. Incompleta plurimos gradus obtinere poteſt.

Causæ inverſionis ſunt vel externæ, vel internæ. Signa inverſionis ſunt diagnoſtica, vel prognoſtica.

Diagnostica variantur pro variâ *ſpecie. Prognoſtica de-ſumi poſſunt à causâ ſpecie antiquitate vel recentiâ & accidentibus.*

Accidentia inverſionis ſunt dolores circà lumbos & coxas; hæmorrhagia, inflammatio, febris, durities, gangræna, ſyncopes; convulſiones, ſudores frigidi, delirium.

Affectiones quædam licèt ab utero abſolutè diverſæ, tamen pro eâdem inconſideratè ſumptæ fuerunt, ſcilicet excre centiæ, prolapſus uterinus, & majoris ductûs relaxatio. Hern' per eumdem ductum *poſſent tyronibus dubium inferre*, ſed ſig' propria perpendant & dubium fugabitur.

Curatio inverſionis Uterinæ repoſitione & contentione adimpletur. Contentio ſitûs, & aliquando peſſarii ope ſuſcipienda. Reductione factâ, fotus anodini, emollientes, abdomini ſunt admovendi, ſi adſit quoddam irritationis ſignum, & fotus adſtringentes, ſi debilitatis & inertiæ ſignum ſuperſit.

Polypi aut excreſcentiæ cujuſcumque inverſionem producentis ligatura celebranda.

In inveteratâ & nullis accidentibus letiferis ſtipatâ inverſione: quæ volumen, craſſitiem que uteri ita auxit ut in priſtinam ſedem abſque periculo refundi nequeat, moles propendens ſuſpenſorii ope ſuſtinenda, & ab urinarum actione protegenda.

Si tensio & inflammatio reductioni obstent, jam sanguinis missio, enemata emollientia, fotus ejusdem generis adhibeantur. Si tamen reductio non succedat, sed ingurgitatio augescat, tunc fotus emollientes & resolventes, aut cataplasmata ejusdem dotis, substituantur. Strangulatione perseverante & aucto volumine molis propendentis, scarificationes proponit Heisterus, illas tamen non ab omni periculo vacare probat Ruyschii observatio vigesima sexta.

Quo in casu sequeretur gangræna, citiùs abhibenda venirent antiseptica; nec adhuc à reductione abstinendum est, dummodò sit levis admodùm gangræna. Si reductio obtineatur, injectiones antisepticas, deindè detersivas adhibere juvat.

Posito quod inversio completa uteri non reducitur, sed gangræna crassitiem ipsius occupat, & eò pervenit ut timendum præbeat, ne in partes internas brevì serpat, nullaque partis corruptæ à sanâ separationis spes affulgeat; nunc debitâ prognosi de tanto & tam periculoso affectu latâ, apparatu disposito, ad amputationem absque morâ sese accingere. Situs ægrotanti conciliari debet idoneus, ligatura in partem sanam quantum fieri poterit injicienda, amputatio ligaturam & inter partem corruptam perficienda. Vulnus secundùm artem deligandum.

Quas, Deo Juvante, & Præside M. STEPHANO-PETRO LE LAUMIER, Artium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur* *Franciscus-Angelus Deleurye, in Almâ Universitate Parisiensi, Artium Liberalium Magister.*

PARISIIS;

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Sabbati trigesimâ Decembris, anno salutis 1758, *à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO

ET MAGISTERII LAUREA.

Typis Viduæ Delaguette, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi, viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ.